

Bibliothèque numérique

medic@

**Jussieu, Joseph de - candidat /
Afforty, François - président. - An
Catarrhis Epidecimis Theriaca ?**

1733.

***Paris : Typis Quillau,
Universitatis & Facultatis
Medicinae Typographi
Cote : ms 2327 n°82***

315

82.

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUOD LIBETARIIS DISPUTATIONIBUS
manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis duodecimā
Novembris anni M. DCC. XXXIII.

M. FRANCISCO AFFORTY, Doctore
Medico, Antiquiore Facultatis Decano, Præside.

An Catarrhis Epidemicis Theriaca?

I.

SANABILES inter morbos, nullis magis quàm popularibus inclarescit Medicus, in familiarium Magni, in Epidemicorum curatione *Thaumaturgi* nomen sibi comparat: de Republica enim quis melius mereatur? Quis il ultrioribus in eâ titulis dignior eo qui tam sævis hostibus Urbes, Provincias, Regnaque integra depopulantibus, non unum ac cives innumeros eripuerit? Suâ hoc imprimis in morborum genere solerti industriâ ceteris præstantiorem se suos inter olim divinus senex exhibuit, & scrupulosa observationum suarum collectione a posteris æternum Criterii singularis monumentum reliquit. Quò enim insolentioribus hi morbi symptomatis, quò latius sæviunt, eò minus vulgarem in Arte peritiam postulant; gravia patent signa, at veræ plerumque latent causas, quibus ignotis innumera perperam frustra adhibentur medicamina; nec mirum cum rarum jam sit vulgares apud Medicos externas quasdam causas, remotiores ab his judicatas, observandi studium, cui multam antiqui operam dabant: ne quis ideò varios Siderum aspectus, Planetarum conjunctiones, commentitiosque influxus admittendos crediderit, quæ mendax est Sycophantarum scientia. Sed magnas diversarum anni tempestatum constanter redire solitarum mutationes^b ventorum, lenius, aut inclementer assidue spirantium diuturnius imperium, Aeris mediam infimamque hemisphærii nostri regionem replentis calorem nimium aut frigus, nimiam humiditatem vel siccitatem: has velut indifferentes plurimorum morborum causas spectare gravis error est, necessarias has censuisse Hippocrates totâ Aphorismorum sectione tertia videtur: Agrotos suâ nullæ magis præsentia tentant; eaque cum hisce causis symptomatum affinitas est, ut in amborum conjunctione tota ferè grassantis morbi theoria consistat; nullaque ex locupleti materia Medica penure-

^a Hippocratis morborum popularium libri vii.

^b Hippocratis sect. iij. Aphorism. i. Aphorism. v.



media nec eligenda, nec adhibenda ratio usufque suadeant nisi quæ ad communes hæc causas intimâ virtutis proportionem referantur.

I I.

POPULARIUM autem classem angustius vulgus circumscribit, malignis Febribus, Purpuris, Petechialibus, Morbillis, Variolis, Scorbutis, contagiosisque Pestibus coarctatam autumat, hanc longè diffusius sagax Physicus ampliat; quot immò particulares individuo cuilibet familiares, tot fieri posse identidem Epidemicos judicat, ex periodico recensitarum modo causarum recursu. Dum enim in aërem nostra exactè corpora ambientem, eave quibus nutrimur penetrantem tam proximè influunt, hinc latè interdum grassantes prodeunt affectiones innumera familiarium speciem exterius interiusque induta: sive tibi innumeras, oculos fugientes, in Atmospherâ nostrâ diffusas maligni moris salinas particulas, ex quarum in delicatissimas oculorum, aurium, nariumque membranas impulsu generales Ophthalmiæ, Otalgia & Coryzæ apparent: nunc dum in internos oris & palati parietes impingunt, eosque per glandularum salivarium porulos penetrant & se salivæ immiscunt, frequentes Anginas procreant; si è faucibus Bronchias, Pulmonesque adspiratione subeant, tenuissimas pulmonares vesiculas aut pungunt aut corrodunt, hincque subito Peripneumonia, Hæmoptilesque divagantur: cum etiam nec ipsa quibus alimur esculenta potulentaque harumce pravi moris particularum infarctu sint expertia, & ventriculum immediatè lædant, hinc populares Cardialgiæ, Vomitiones, doloresque Colici passim sæviunt, & suo per chylum viru sanguinem inficiunt, quâ datâ portâ ruunt Febres putridæ, ardentes, malignæ, Petechiæ, Variolæ, Scorbutus, nec non & ex vitio Sanguine & crassiorum inter excrementa salium è ventriculo ad intestina vehiculatione eorum membranæ irritantur, unde vel ferrosâ per anum colluvie, vel torminalibus dysenteris colliquata subito corpora acervatim efferuntur: particulares morbos multo plures in populares convertendos concipias: quid si continuum diversi mille salinorum miasmatum generis in Atmospherâ nostrâ motum, rem credideris certam? Si ventis illa ex australibus vel borealibus plagis advehi observentur? Quid si violentius exterioris, interiorisque corporis nostri partes insultent? Novæ plerumque ac variatæ atrociorum subitorumque symptomatum generales causæ.

I I I.

MULTOS licet quotannis totâ Hyeme & ineunte Vere Catarrhi tentare soleant, familiares tamen morbi reputantur, his plures ex senibus & puerulis, nonnullique ex adultis pectore scilicet debiles sunt obnoxii, at suo generali subitoque impulsu epidemicorum sibi nomen anno 1733 vindicarunt; nec improprie, cum non Civitatem, non Provinciam unam, sed Galliam omnem, totamque ferè Europam grassando peragraverint; grave Lutetia imprimis flagellum sensit, tanto impetu, ut quælibet Civium domus, immò Civitas tota commune simul valetudinarium foret. Dissimili omnino facie, multisque ac variis larvatum symptomatis sæviebat id morbi genus, nunc Cephalæam, nunc Anginas, nunc Ephemeram, nunc Synochum febrem, mox Orthopnæam, moxque Peripneumoniam imitabatur: fallebant rei ignaros ementitæ tot ægritudinum species, unicam essentialem viri nasutiores verè Medici agnoscebant. Catarrhum popularem pectori maximè incumbentem, cujus originem à generalibus causis ab ovo repetebant; nullæ inordinatæ præcedentium tempestatum constitutione evidentiores; annorum 1731 & 1732 Æstatum Autumnorumque

NON deerunt quibus nec inditum nomen, nec petita remotius causa, nec simplicitate suspecta Therapeia sapiet: numquam satis cautè, inquit, terrifico Epidemix utendum est nomine; quid isti habent Catarrhi cæteris brumalibus annuis insolentius? Novane miasmata hyeme quasi salino acidorum pectus afficientium theoria instituenda? Hyemales quidem morbi, fatemur, sunt Catarrhi, frequentes eà tempestate Cephalæ, Gravedines, Anginæ, Hæmoptyses, Tusses, & totidem hominum tot esse solent ægritudines, at illæ omnes simul ac subito unum elapsâ hyeme hominem corripiebant: non symptomatum tantum sed variarum affectionum grassans syndrome, annon aliam eamque epidemicam morbi speciem indicat? Rariorem ejus causam non vulgaria mali moris brumalia miasmata, sed plus solito maligniora arguunt. Epidemiam quid magis redolet quàm lues quæ nulli parcens, simul ac subito per urbes serpit? Si pueros, senes, divites, magnatesque, quam plebem servilemque gentem minùs affecit, ferinis aëris insultibus quibus ultimi conditione suâ frequentius objiciebantur, imputa. Leviolem gravioribus insolitæ ægitudinis symptomatis medelam fastidis, fastidiebant etiam qui epidemicis prædictorum annorum Catarrhis ætatis pristinæ Medici speciosæ omnis generis medicamentorum farragini indulgebant: Absit ut à venæ sectione, Catharsive magnis in morbi principio auxiliis recedam, cum allevianda ultrò se offerat sanguinis ad pulmones affluentis copia, cum ingravescat Cerebrum, & noxiæ alvi adstrictioni sit occurrendum: nec etiam Bechicorum oleosorum in Ptisanis, Linctibus, Eclegmatis usum spreverim, immò suaferim; at post celebrata vulgaria hæc remedia, superstitè adhuc Tussi asperâ, salubrius jam quid desideratur? hujusce salubrioris vices adimplet Theriaca; de præstantiâ ac efficaciâ dubitas, ob numerosam diversæ ac sibi mutuò, ut videtur, oppositæ virtutis Simplicium quâ componitur, congeriem; immò nova singularisque ex ipsâ compositione virtus emergit: quid amplius hîc objicies? An intimum quo præstat calorem, pectori jam irritatione inflammato, noxium? Supponis noxium Theriacæ calorem, solam metuendi caloris speciem præfert, saluti intimius pollet, horum instar seminum fructuumque, qui cum acrius os afficiunt, salubre sanguinis fervori frænum injiciunt: rem probat seminis Cardamomi masticati exemplum, hoc nimirum calido licet sapore donetur, sitim tamen salubri occultâque aciditate & frigiditate in ore ipso restinguit. Quid plura? Unicum adde salutari Electuario faventibus argumentum, felicem ab antiquo usum, felicem in similibus annorum prædictorum Catarrhis, probatum in novissimè observatis.

Ergo Catarrhis Epidemicis Theriaca.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

<i>M. Emmanuel-Mauritius du Verney.</i>	<i>M. Joannes-Franciscus Leaulté.</i>	<i>M. Petrus le Tonnelier.</i>
<i>M. Ludovicus-Claudius Bourdelin, Scholarum Professor, & Regia Scientiarum Academia Socius.</i>	<i>M. Antonius Millet, Pharmacologia Professor.</i>	<i>M. Nicolaus Andry, Antiquus Facultatis Decanus, Rei Herbaria Professor, & Professor Regius.</i>
<i>M. Michael-Ludovicus Vernage, Regis Consiliarius & in Senatu Parisiensi Medicus ordinarius.</i>	<i>M. Michael Peaget.</i>	<i>M. Philippus Hecquet, Antiquus Facultatis Decanus.</i>

Proponebat Parisiis JOSEPHUS DE JUSSIEU, Lugdunæus, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1733. à sextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1733.